

1
6
516







DE FEBRIBVS,
ORATIO,

Habita in Archi-Lycæo Patavino, die 4. Nov. 1677.

A CAROLO PATINO

DOCTORE MEDICO PARISIENSI,

MEDICINAM PRACTICAM INTERPRETANTE.



PATAVII, MDCLXXVII.

Typis Petri Mariæ Frambotti. *Superiorum permissu.*

42

Illustrisſimo & Excellentisſimo D.
D. LEONARDO PISAVRO,
DIVI MARCI PROCVRATORI,
ATQVE ACADEMIÆ PATAVINÆ MODERATORI,

CAROLVS PATINVS.



Bſit omen, Te in medicæ facultatis ſocietatem vocare auſus ſum, Senator Præſtantisſime: Non ſanandis corporibus, quod artificium infra fortunæ tuæ magnitudinem jacet, ſed ſtudiorum ſaluti, unde animis valetudo & fama conſtat. Spem fecit rara felicitas, quâ non ita pridem fovendis literis ac diſciplinis, munere Divûm, admotus es, quæ in morbum implicitæ, ac prope veterno conflictatæ ægrè ſpiritum trahebant. Neque Te triſte argumentum, & humanorum corporum populatrix Febris abſterreat: Tu illam ſolo aſpectu, quo cuncta ſerenas, fugare potes. Nos interim vota faciemus, ut Tu nunquam Medicorum ope indigeas, Medici à Te ſemper expectent.

E muſæo noſtro Patavino, Eid. Nou. MDCLXXVII.

Illustrissimi Excellentissimique Domini, Sapientissimi Professores, Auditores præstantissimi.



Voties togatæ illius gentis, rerumque Dominæ, quæ Romam olim incolebat, religionem cogito, cogito autem sæpiùs, non possum non mirari immensam illam Deorum Dearumque turbam, quam non contenta satis magnam à Majoribus accepisse, cum ipsis imperij finibus subinde reddidit ampliorem: dum populorum deuictorum numina, ne in libertatem pristinam seque & clientes suos asserere tentarent, Romam euocata atque translata ibidem deuota mente coluerunt. Toleranda hæc essent in gentili superstitione, sed quis æquo satis animo ferat, quis sine summa indignatione cognoscat, Romanos terrarum dominos, & genti nulli, quæ sunt, quæque fuerunt, animi sagacitate, rerumque agendarum usu secundos, morborum pravorumque affectuum agmina, non secus ac hodie infestissimi quique mortalium cacodæmones solent, ne nocerent nempe, diuinis honoribus affecisse, ijsdem aras dedicasse, templa statuisse? Hoc in numero fuerunt Pallor Pauor, Febris, Furiæ, Mors; Vana illa numina, quæ hoc anno Academici muneris, mihi à Sereniss. Republica demandati, erunt argumentum.

Et hoc quidem ita tractare animus est, non ut colendum aut detestandum quicquam eorum demonstrare laborem; quippe qui hanc curam Theologorum & Philosophorum contemplationibus omnino relinquendam censeo; sed ut qua ratione debellari, & de sede sua deturbari possint, ostendam: faciamque, quantum in me est, ut quot estis melioris notæ φιλίατροι, tot sitis ipso opere, horum cedæmonum ceu monstrorum debellatores, totque heroës & Hercules ἀλεξίκακοι. Carmina votiua, susurros magicos, talismannos, amuleta, impuras aut ineptas sanandi artés adaucere atque revellere, supervacaneum puto: Monstrum horrendum, ingens, causis suis, signis, symptomatibusque stipatum, μετὰ τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν πεφυκότων, ut loquitur Galenus, exponere, auribus animisque vestris meditor, ut dextrè tandem fortiterque juguletis. Neque aliud Ouidium voluisse mihi persuadeo, lib. 1. metam. *quàm ut sub serpentis Pythonis fabula Febrem indicauerit, ab Apolline medico sagittis ceu remedijs confixam.* Perdidit effuso per vulnera nigra veneno, *inquit ille Poetarum ingeniosissimus. Nonne incendium demonstratur extinctum, subtracto ignis alimento, ampla ut decet sanguinis emissione.*

Ceterum, non contemnendum hostem vobis sum exhibiturus; sed eum qui malè semper humanum genus afficiat, ac tandem opprimat; Nemo enim sine Febre moritur. Febrem præterea morborum omnium esse nequissimum, & frequentissimum, continua docet experientia; quod utrumque præterea fusè declarat Corn. Celsus, lib. 3. cap. 3. *adeo ut nullum grauem morbum censeant Medici, qui Febre careat vel cum ea non copuletur. Quin & aliquos Febre perpetua contabuisse fama est, quemadmodum accidit celeberrimo illi Augusti Imperatoris amico Cajo Mæcenati, cuius immortali gloriæ tributum est, ut litterarum patroni, quorum numerus in dies ferè decrescit, nomen à nomine ejus sortirentur, quemquidem continuò febricitâsse narrat Plinius. Antipater Sidonius poeta, omnibus annis, uno die tantùm natali, corripiebatur Febre, & illo etiam, extrema licet senecta, absumptus est. Quod præterea multorum brutorum exemplo confirmatur, quæ ob immensum ardorem semper febricitare existimantur: Sic est naturaliter constitutus leo, à quo apud Græcos emanauit proverbium,* ἐγέλασεν ὁ λέων, leo risit, *quoties scilicet rarum aliquod hilaritatis exemplum intuemur. Lucretio hac de causa, Febris* triste leonum seminium *appellatur. Capra itidem, ob continuos saltus semper febricitare creditur, quare illa ab Ægyptijs, teste Pierio, in sacris eorum litteris, quæ hieroglyphicæ dictæ sunt, Febris loco depicta est. Quædam è contrario nunquam Febrem percipere scribit idem Plinius, ob maximam perpetuamque cordis temperiem, ne dicam frigiditatem, quæ in timidis præcipue animalibus animaduertitur, cujus generis sunt cervi, lepores, & similia.*

Febrem porrò nuncupat Hippocrates πυρετὸν *&* πυρεξίαν, *scilicet* ἀπὸ τοῦ πυρὸς *à calore illo igneo naturæ nostræ infensissimo, Febris assiduo comiti: Cùm enim humido vita consistat, eoque leniter calido, planè destruitur ab incendio febrili. Patet id vulgatissima Febris definitione; Calor est accensus præter naturam, è corde per arterias in totum corpus effusus, actiones lædens. Patet & maximè pathognomonicis ipsius Febris signis: Eam quippe assiduè comitantur virium languor & imbecillitas, cum spontanea corporis grauitate aut dissolutione: calor, aut foris acer & pungens, aut intus certè molestus, qui & nonnunquam fervido halitu prorumpit è naribus; pulsus dein celer euadit, frequens, interdum etiam inæqualis, qui solius cordis calidioris est proprius.*

Hæc fortè occasionem dedere Alex. Aphrodisæo proponendi problema LXXIX. Cur Æthiopes, magna ex parte cùm febricitant intereunt?

Quo-

Quoniam, *inquit*, calidi ſunt & ſicci: Fit enim per Febrem ut omnis elementorum deſtruatur conſtantia: quandoquidem humor qui in eis exiſtit exiguus, promptè abſumitur: calorem enim deleri per alimenti inopiam neceſſe eſt: *quod mutatis tantum nominibus, nomen indicat.*

Hinc celebris orta eſt quæſtio, an Febris ſolvat morbos frigidos? Cujus affirmantem tuentes partem, divinum noſtrum ſenem autorem proferunt, aphor. 57. ſect. 4. *hæc docentem*: A convulſione aut diſtentione nervorum vexato, febris accedens morbum ſolvit: Ὑπὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ, πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νόσημα. *Et* Aph. 5. ſect. 5. Si quis ebrius repente obmuteſcat convulſus, moritur, niſi Febris exoriatur, &c. *Et*, Quartana epilepſiam ſanat. *Tum in coacis prænotionibus*: Σπασμοῦ λυτικὸν πυρετὸς ἐπιγενόμενος &c. Convulſionem ſanat exorta Febris. *Proferunt ultro Platonem*, in Timæo, *aſſerentem* calore febrili affectus frigidos ſanari. *Quibus quidem autoritatibus, facetè reſpondentem audiui, eas majoris non eſſe roboris, ac ſi quis hoc argumento ſteretur*, domorum incendium plurimùm valere ad opprimendos ſorices. *Febris quippe totis viribus naturæ noſtræ aduerſatur, quod olim de pure atque dolore poſt claſſicos autores animadvertimus, quippe quâ, & frigida & temperata corpora æqualiter corruunt: Niſi illis eandem gratiam facere malimus, quam Polyphemum Vlyſſi promiſiſſe fingit princeps poetarum Homerus, inque horum priùs quàm illorum jugulum, ferrum ſtringendum exiſtimemus.*

Vt tamen tantorum virorum autoritati ſatisfiat, non negabimus frigido morbo correptis plus ineſſe qualitatis paſſiuæ quæ febrilis inflammationis impetui diutius reſiſtat, quæque, ut omne agens agendo repatitur, à Febre imminuta, aliquam cum natura laborante gratiam inire videatur. Id quidem mirè explicat Galenus, in comm. aphor. 44. Ἴσμεν ἐκεῖνα μόνον τῶν νοσημάτων ὀνινάμενα πρὸς τῶν πυρετῶν, ὅσα κατὰ φύξιν συνέστη ποτὲ μὲν αὐτὴν μόνην. Ἐνίοτε δὲ ἅμα χυμοῖς καὶ φλεγματώδεσιν, ἢ φυσώδει πνεύματι. Scimus, *inquit*, illos duntaxat morbos juvari à Febribus acutis, qui à frigore enati ſunt, vel ſimplici vel cum humoris affluxu conjuncto crudi & pituitoſi, nonnunquam à ſolo ſpiritu flatulento. *Eam porrò adhibet conditionem ut morbo ſuperveniat, nec cum ipſo coorta ſit.*

Mihi certè ſi quislibet frigidus morbus curandus obveniſſet, ſatius eſſet aliunde remedia quærere, quàm ab hoſte tam ſæuo ſanari. Imitemur hic prudentiſſimum inſtitutum Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ,

do-

dominæ nostræ, (ut exemplo non absimili caussam nostram illustremus) quæ cùm superiori sæculo, ab innumeris hostibus grauiter esset oppressa, maluit cujuscunque alterius generis auxilia experiri, seu debiliora, seu tardiora, quàm à feroci Turca, sponte potentissimas offerente suppetias liberari. Neque enim quodlibet remedium, remedium est; quin interdum à prudente medico, pejus morbo censeri debet; ut in hoc casu Febris, quæ sanatum corpus depopulando priore majorem excitaret calamitatem.

Si tamen ulteriùs instarent infelicis hujusce febrilis numinis Febris inquam, idolatræ, atque id omnino prodesse nonnunquam & auxiliari prædicarent; Illos ad artium magistros ablegarem, ut saniori menti restituerentur. Sensum qui negat, *inquit Aristoteles*, l. 1. Topic. c. 9. sensuum pœna dignus est. *Audiatis Auicennam nostrum*, in metaphysicis: Torreantur qui negant ignem esse calidum. *Idem sentit Scotus*, 1. sentent. distinct. 39. Tormentis exponantur qui contingentiam liberumque arbitrium affirmare non audent, data iis potestate dolores declinandi, cùm fassi fuerint se eos declinare potuisse. *Sic Febre per me corripiatur, qui impium Numen adorans, aliquando propitium esse pertinaciter asseruerit. Et ut sermone sacro utar*, Deuteron. c. 28. Percutiat illum Dominus Febre & frigore, ardore & æstu, donec pereat, *vel ad meliorem mentem revertatur.*

Absit & procul absit, ut Vos inter illos numerem, Præstantissimi Studiosi, cùm vestrum plerosque noverim purioris scientiæ auidos, fallacium dogmatum osores atque contemptores. Calorem nativum ut summum sanitatis thesaurum spectemus, quo nihil melius, nihil utilius nobis concessit natura, quippe cùm sit omnium functionum radix & principium. Febrem è contrario attentè consideremus, furore suo seu Furijs omnia turbantem & opprimentem: Hæc enim propria cordis est passio, τὸ τῆς καρδίας πάθημα, *inquit Aristoteles*, l. 1. poster. c. 64. *ut calor nativus ejusdem robur constituit, docente Galeno*, de decret. Hipp. & Plat. l. 6. c. 1. *quod ita Auicenna noster declarasse videtur in Cantic. p. 1. tr. 3.* Cùm cor incedit rectè in pulsatione sua, tunc ejus dispositio est pacifica & tranquilla. *Lepida utriusque officij allegorica comparatio facta est cum cane & lupo*: Et canis in silvis nutritur & omnia servat, Et lupus in silvis nutritur & omnia vastat. *Divinam enim illam Promethei facem quis negaverit sartam tectamque corporis nostri œconomiam tueri, Febre eamdem prorsus labefactante & destruente. Absit, inquam*

quam, nisi quælibet optima de Vobis sperare, qui ab extremis orbis partibus ad has oras appellitis, secretiora medicinæ mysteria, juvantiumque numinum beneficia in vestras regiones reportaturi, & κακοδαιμόνων fraudes æternùm estis detestaturi.

Vos imprimis interpello, inclita Germaniæ Filij, gaar menner, alle menner, *gentem quam virtus amicis charos, hostibus terribiles effecit. Militaris quidem id obtinuit, ut potiùs triumphati sint vestri majores, quàm victi, frendentibus tot orbis Romani Imperatoribus. Nec minùs dilectam esse Musis Germaniam vestram innuunt, tot ejus superba collegia, tot clari Professores, tot benè animati studiosi, quorum ipse per decennium testis fui oculatus. Patavina hæc Academia exultat numerosa tantæ gentis frequentiâ, vosque veluti totidem rutilantes in hoc litterarum cælo stellas suspicit. Neque est, quod ad hodierni laboris gloriam vos excitem, cùm ipsos proprio Marte vadimonium hoc alacriter suscepturos confidam, juxta vetus illud Taciti encomium*, plus in Germania valere bonos mores, quàm alibi bonas leges.

Græcis verò num deesse unquam poterunt rei benè gerundæ incitamenta? Nulla profectò natio est, quæ tot Heroas numerare valeat. Quis præstantior fuit Homero, felicior ac generosior Alexandro, eloquentior Demosthene, fortior Hercule, doctior Hippocrate nostro, sapientior Socrate? at illi omnes Græci fuerunt. Græcis ingenium Græcis dedit ore rotundo Musa loqui, *inquit Horatius. Sed quid moror: tot sapientiæ atque fortitudinis exempla omnibus gentibus dedit Græcia, ut quæ cæteros orbis incolas tanquam barbaros,* ἀμέσους καὶ ἀθεωρήτους *spectabat, sola Deorum patria & bonarum disciplinarum parens, vulgò meritòque audiat.*

Quid vos omnes numerem, Poloni fortes, Bohemi sagaces, Hungari bellicosi, Angli prudentes, fideles ac Catholici Hispani, invictique Galli, vosque quos ingeniosissimos genuit omnium orbis regionum nobilissima & amœnissima Italia. Χρὴ πάντας ἀνθρώπους ἰητρικὴν τέχνην ἐπίστασθαι, *inquit Democritus, in epistola ad Hippocratem,* Oportet omnes homines medicinam scire: *sed vos quanto magis illi addiscendæ operam præstare tenemini. Vos itaque omnes conjunctim hortor, Nobilissimi Studiosi, ut hisce nostris Febrium explicationibus; strenuè diligenterque incumbatis, illasque tum publicis tum priuatis exercitationibus recolatis.*

Nolite perterreri argumenti difficultate, scitis quippe Deos laboribus omnia vendere solitos, multosque discipulos hac arte præstantiores

fuisse

fuisse magistris, *juxta Ciceronianum illud*, in epist. l. 6. πολλοὶ μαθηταὶ κρέιττονες διδασκάλων. *Sudores vestros, quos æterna consequetur gloria, quibuslibet vitæ oblectamentis anteponere non dubitetis; qui enim in virtutis & eruditionis campo seminant, de virtute atque eruditione metent. Perpendatis Febrium cognitione nihil nobis futurum utilius: Cæteros quippe morbos, seu* ἀπυρέτους, *ita negligunt plurimi ut vix medicum accersant, eosdem curandos incautè committentes Chirurgis, Chymistis, circunforaneis agyrtis,* τοῖς περιοδευταῖς καὶ Ψευδο-ιάτροις, *interdum etiam mulierculis; uno verbo ineptissimis hominibus, leuissima fallacissimaque innixis experientia. Solam Febrem, medico, ut vocant, physico, sanandam tradunt, & grauitate symptomatum ægrotantes opprimentem, & sanctissimæ artis nostræ imposturis minimè cedentem. Ego verò tenuitatis meæ immemor nunquam futurus, neque labori parcam neque diligentiæ, quibus Serenissimæ Reipublicæ gloriam, celeberrimi hujus Lycæi decus, vestraque commoda possim promovere, & de Vobis omnibus bene mereri.*

Proxima die, ad hostis nostræ castra properabimus, & qualis sit Febris, Deo volente, explorabimus.

DIXI.